



ALCHEMIÆ LIBER

PRIMVS

DE ENCHERIA

CAPVT I.

Quid Alchemia?



ALCHEMIA est ars perficiendi magisteria, & essentias puras è mistis separato corpore, extrahendi.

Quæ duo officia, quia voce laborandi vulgò comprehenduntur, euenit, vt etiam ars benè laborandi queat nominari, aut segregationis puri ab impuro, per sacci formam, & fusionis modum seu solutionis, ob partis huius excellentiam, vnde & nomen arti natum iudicatur.

Exordium habet à natura, quam imitari industria primi studuerunt artifices, idq; maximè initio in succis mineralibus extrahendis è vena, & depurandis, quo pacto ipsa natura pura puta metalla, & succos è mineris profundit, ut etiam in die è venis suis extantes conspiciantur. Itaque olim in metallurgia plurimum valuit. Nunc medicinæ ministrat potius, & non in mineralibus elaborat tantum, sed & animalibus & vegetabilibus, ad vsus humanos, & salutem defendendam, quanquam etiam ornamenta vitæ conferat plurima.

(Primus inuentor eius creditur Tubalsain ille in sacris notus, quem Vulcanum nominant. Is enim primus in metallurgia, qua pars est Alchymia, elaborasse scribitur. In AEGYPTO eius celebrator extitit Hermes, seu Mercurius Trismegistus, inuento transmutationis nobilis, à quo res quaedam artis adhuc nomen habent, vt vas Hermetis seu pelicanus, aues Hermetis, sigillum Hermeticum, &c. Ita apud Mesuen sunt pil. Hermetis, hiera Hermetis, &c. Ab hoc etiam ars ipsa Hermetis nuncupatur, & intelligitur transmutatoria, quam præceptis comprehendit Gebrus Mauritanus. Ad medicinam eam accommodasse, & liquores stillatitios fecisse leguntur primi Arabes & Persæ. Vnde Auicenna à Sorsano dicitur Alchymia studuisse, ipseq; nominatim facit mentionem corrigendæ aquæ per sublimationem & destillationem. Hunc sequuntur Rhazes, Mesue, Bulcasis & alij, apud quos Chymica multa reperiuntur: & nominatim Mesue Alchymistis tribuit etiam oleorum resolutorum confectionem. Nostro tempore eius fiducia Paracelsus summa imis miscuit, & peculiarem factionem Paracelsistarum genuit. Vnde Paracelsia est monstrosa quædam iactantia, ex ruditate & scientia temeritateq; conflata, miscens medicinam Alchemia, & hinc omnes scientias peruertens.)

CAP. II.

De partibus Alchemia.

ALCHEMIÆ partes sunt duæ: Encheria & Chymia.

Encheria est prima pars Alchemia, de operationum modis.

Itaque hæc pars generaliter species operationum describit, quæ postea singulis magisteriis & essentis elaborandis accommodantur. Et quia manus industria hic plurimum valet; etiam nomen inde sortita est, ut *ἐργασίαι*, quasi manus artificiosæ ad mouendæ descriptionem nomines, dicatur, cum tamen non solius sit manus, sed omnium sensuum solertiam attentionemque & ingenij acumen requirat singulare.

Inseruiunt Encheria, Ergalia, & Pyronomia, quarum tanta est in Alchemia exercitio necessitas, vt is demum artifex absolutus censeatur, qui earum notitiam & vsum habet perfectum. Debet enim operationibus singulis, quin & fere vnus eiusdemque diuersis interuallis, suum instrumentum & ignis, vt sine illis nihil possit laudabiliter & accuratè fieri.

CAP. III.

De Ergalia, & primum de lutandis & obstruendis vasis.

ERGALIA est instrumentorum alchemicorum explicatio.

Ad quam cum duo pertineant, noticia, & vsus: fundamentum huius est illa. Qui enim instrumenta chymica benè cognouit, & non tantum simplicia inspexit, sed & ea componere ad operationes certas didicit: in vtendi rationem vnà ducitur, quam tamen perfectè exponit ipsa Encheria.

Instrumenta sunt duplicia, vasa & suppellex tumultuaria.

Vasa sunt instrumenta capiendis rebus idonea. Itaq; & capacitatem habent in se, & sua orifici:

Vasa